

iv. De rege et milite qui viderunt pauperem lætāntem et
cantāntem.

LEGIMUS de quodam rege qui dixit cuidam militi suo, “Eamus nocte per civitatem, et videamus quæ fient in ea.” Cum autem ad quendam locum devenissent, viderunt lumen in quodam subterraneo habitaculo, in quo sedebat homo pauper cum sordidis et laceratis vestibus cum uxore sua pauperrima, quæ coram viro suo cantabat et laudibus eum extollebat.” Tunc rex mirari cœpit, quod hii qui tanta gravati erant inopia, et vestimentis carebant, nec domum habeant, ita lætam et securam et quasi locupletam ducebant vitam; et ait militi suo, “Valde mirabile quod nunquam mihi et tibi placuit vita nostra, quæ tantis deliciis et tanta refulget gloria, sicut hos stultos lætificat miserrima vita sua, quæ dulcis et suavis videtur eis, cum sit aspera et amara.” Cui miles sapienter respondit, “Multo amplius stultam et miseram reputant vitam nostram veræ vitæ et æternæ gloriæ dilectores, qui splendida palatia nostra et vestes et divitijs tanquam stercora reputant respectu cœlestium divitiarum, et gloriam nostram tanquam ventum et inane æstimant respectu inenarrabilis pulcritudinis gloriæ sanctorum quæ est in cœlis. Nam quemadmodum nobis decipere isti nisi sunt, eodem modo et amplius nos, qui in hoc mundo erramus et sufficientiam nobis esse putamus in ista falsa gloria, lamentationibus digni sumus in oculis eorum qui gustaverunt dulcedines æternorum bonorum.
